

30

Diaetet.

234

~~chad. 2399~~

239<sup>c1</sup>

~~255.~~

~~Dicat. A. 182~~



3 Gg.

# PRINCIPIA DIAETETICA

HERMANNI BOERHAAVII

VIRIS SUMMI

INSTITUTIONES HYGIEINES

DIGESSIT AVXIT

ET PRAELECTIONIBVS ACADEMICIS

ACCOMMODAVIT


D. HENRIC. FRIDERIC. DELIVS

CÖNSILIA R. INTIM. AVL. BRANDENBURG

MEDIC. PROF. PRIMAR. ACAD. IMP. NAT. CVR. ADI.

SOCIET. SCIENT. MONSPELIENS. ET

RHOTOM. SODAL.



ERLANGAE

APVD FRIDERIC. ANDR. SCHLEICH.

M D C C L X X V I I .

PERSIVS.

*Mille hominum species, et rerum discolor usus:  
Velle suum cuique est, nec voto vivitur und.*

HORAT.

*Nec medici, credis, nec curatoris, egere?*

*- - - - -  
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
Quos ultra, citraque, nequit consistere  
rectum.*



## INTRODVCTIO.

**E**aedem fere rationes, quae ad edendas iterum nuper, & augendas, *institutiones Semioticas* BOER-HAAVIANAS, me impulerunt, ad edendas quoque noviter, digestas, & auctas, *institutiones diaeteticas*, me determinarunt:

Scilicet, dum cōsultum tum erat, separare sanitatis signa, ab iis, quae valetudini adversae propria sunt, separatim quo-

A 2

que

que illa tradere haud minus conveniebat, ne aliquid praetermissum esse videatur, quod, in docentis, & discentis, commoda transire, & statum hominis *naturalem* & *praeternaturalem* delineare, possit.

Deinde libelli, praelectionibus academicis accommodati, ita quoque compарати esse debent, ut diffuso scribendi genere non displiceant, sed dicendorum materiam, atque dogmata, in conspectu planiore exhibeant, absque taedium saepe transitionibus, & initialibus formulis, quas docens, pro eo, quem servat ordine, & tractandorum nexu, ipse, in liberaliore dicendi genere, formare, lectorque facile secum cogitare, potest; atque cum huic negotio breviores aphorismi apprime quadrent, *Boerhaavianas* quoque & hasce institutiones eo magis, per nonnulla iam lustra, elegi,  
ut

## INTRODVCTIO

ut in eas , praelectionibus acad e-  
micis, commentarer, quo magis *Vir sum-*  
*mus* eo quoque habitu gaudebat, ut  
paucis multa comprehendenterit.

Cum vero diu iam animadverterem,  
nimia forte brevitate, circa nonnullas  
se<sup>t</sup>iones, quibus *Hygieinen* absolverat,  
illum usum fuisse, ea aut ex meis adde-  
re, aut ex *pathologia* b. autoris, *aetiology-*  
*ca* praesertim eius *particula*, huc trans-  
ferre, ratus sum, quae ad complementum  
opusculi facere, & ex re esse, videbantur:  
quare quidem numeros, ordine sese exci-  
pientes, paragraphis noviter praeposui,  
*Boerhaavianos* autem simul numeros  
servavi.

Accedit ad novae huius editionis  
caussas, ut , cum, praeter lectissimos  
philiatros, etiam plures aliarum doctri-  
narum studiosi, ut in proprii corporis

A 3 cogni-

cognitionem, eiusque oeconomiae rite constituendae rationes, qua sunt perspicacia, descendere, aequum & salutare duxerint, recitationes meas frequentarint, non necesse ii habeant, integras institutiones Boerhaavii, quae quidem at non sine praceptor intelligenda, omnem artem medicam, complectuntur, sibi comparare, sed haberent tandem, huic scopo saltem convenientem, libellum quendam memorialem, in quo & dicendorum materiam, verbulis saepe nonnullis tantum indicatam, invenirent, & relegendο, meminerint eorum, quae e viva voce percepérant: & haberent denique ii, paucas phylaras, qui particulam quandam scientiae medicae sibi cognitam reddere, vel in aliorum usus vertere, absque longo labore, velint.

Non desunt quidem plures *libri dialectici*, & vario idiomate conscripti, in qui-

quibus aut universam, de sanitate conservanda, doctrinam tradiderunt, aut singula quaedam eius capita, uberiore sermone dilucidare, sategerunt, autores; atque horum certe multi palmam iis, nostro praecipue seculo, satis multiplicatis, praeripiunt, qui de hac vel illa *methodo medendi*, ipsisque *medicamentis*, vel eorum *formulis*, ad *populum* sermones, *phalerasque*, faciunt, vel *populari*, ut aiunt, *stile inicios* erudiendos sibi sumunt, cum, qui inde nunc *medici sui ipsius fieri* se posse autumant, saepe minus sibi consulant, dum absque praemissis veris, vel sufficientibus, doctrinae salutaris principiis, non cuivis datum sit, ea feligere, quae nunc, & ad statum praesentem, pertinent, quaeque *hoc tempore*, *locoque*, agere oportet, ut ideo saepe aut *υτερον προτερον* committant, aut indicationes non rite formant, nec, respondentia his, secura

A 4

indi-

indicata applicent: unde demum medicis sagacioribus aut doctiores esse malunt, aut alias iis difficultates creant; Verum nec libri diaetetici omnes, quamvis sua laude non plane defraudandi, praelectionibus academicis appropriati sunt, neque paucioribus pagellis absolvuntur, nec ex iis quoque lectores sui ipsius medici semper evadere queunt, cum in eligendo vitae genere egregie falli, seque ipsos fallere, possint, quando in applicandis principiis generalioribus, aut iis, quae nunc magis, nunc minus quam par est, commendantur, sibi familiarius reddendis, habitu, cum recta ratione effectivo, non satis gaudent, vel ad singula magis respiciunt, quam ad ea, quae separare minus oportebat, vel dum

*irretit muscas, transmittit, aranea,  
vespas.*

Quare

Quare institutione, & discretione, opus est, ne, quid in *individuis* nunc valeat, atque conduceat, vel non, ignoretur.

Atque, si, in quavis vernacula, verba in tales institutiones facienda sunt, *textus latinus* huic negotio, p<sup>r</sup>ae aliis, favet, cum, quando in omnibus, quae praecipiuntur, *brevitatem commendant*, de Romani sermonis instructiva brevitate, atque concinnitate, & ore rotundo, inter omnes constet: ut ideo novum inde, circa Boerhaaviani opusculi praestantiam, huiusque, pro instituendis praelectionibus, electionem, nascatur argumentum: dum accedit docentis studium, in explicanda ipsorum verborum significacione, eorumque, pro varia hominum sorte, applicatione, atque pro vario, & saepe moderno, sentiendi, loquendi, & vivendi, genio, usu, necessitate, praeiudicio, & consuetudine: qualis institutio, hac ratione

A §

habita,

habita, non solum, vulgato, ineptiarum  
pleno saepe, modo, *practica*, sed, & ad-  
hibita *cordis humani historia*, *pragmatica*  
vere evadere potest.

Non potui itaque non, quin & saepiu-  
scule *philosophiae moralis* praecepta, cum  
*institutionibus Physicis & medicis*, con-  
iungerem, siquidem saepe *mens*, qualis-  
cunque demum *ea* sit, ea magis *mens*  
*agitat molem*, & appetantur, & aversen-  
tur, res, non semper *ut bona*, vel mala,  
sed prouti pro talibus iudicantur, quam  
*ut ea*, quae salubria, vel insalubria, vo-  
cantur, perfecta sua, semper, & ubique,  
gaudeant efficacia; quamvis facillime  
largiamur, cogitare, & agere, mentem,  
pro situ, & statu, eo, in quo *nunc* cor-  
pus est, cum ea iunctum. Neque ab-  
horrere medicinam a *morum disciplina*,  
imo necessariam, & possibilem, esse  
utriusque scientiae combinationem,  
vel

vel iam THEOPHRASTUS ille ERESIUS olim  
demonstravit, qui & de physicis & me-  
dicis rebus, & de characteribus, & mo-  
ribus, scripsit; &, praeter eos, prisci, &  
noſtri, orbis vates, qui , dum ſaepe  
difficile eſt, satyram non ſcribere, ridendo  
dicere verum, pro licito reputant, plures  
alii medici cordati, & cordis humani gna-  
ri, idem docuerunt: quique cum iis, qui,  
aut vitiis hominum ſapere, vel inde nutri-  
ri, et experimenta interdum per mortes  
agere, aut in ſeculo noſtro, quin & for-  
te non unius aevi! paradoxo, luxurio-  
ſo, & oeconomico, humano aequivoco,  
& p̄ae nimia ſenſibilitate, ad veram vir-  
tutem non ſatis ſenſibili, ſolis medica-  
mentis materialibus hominum ſaluti con-  
ſulere, geſtiunt, divortium faciunt.

Sed cum in diaetetica de rebus ſic di-  
ctis non naturalibus agatur, & neceſſe  
ſit, ut, ambiguitate quadam laborans,  
haec

haec appellatio explicetur, rerumque  
istarum notiones subministrentur, neces-  
se quoque erat, principia nonnulla *phy-  
sica*, *physiologica*, imo *psycbologica*, in  
hanc scientiam simul introducere, quo  
distinctius omnia tradi possent, *virium-*  
*que* rerum, in nos agentium, una cum  
*receptivitate* earum a nobis, quae varia  
est, *notiones*, & *modi*, evolvi, ex  
quibus demum circumspectum *regimen*,  
circa ea, quae prodesse, & obesse, que-  
unt, derivetur. Unde & e *pathologicis*  
ea hic repetere oportebat, quae effe-  
ctus in corpus noxios indicant, ut eo  
magis ab iis cavere, & sanitati prospicere,  
possimus. Neque varia *historiae natu-  
ralis* capita praetermitti hic poterant, si-  
quidem ea chara&teres externos cor-  
porum, quibus utimur, quaeye in nos vim  
& efficaciam, suam exercent, exhibet,  
eorumque habitum docet, ut, quaenam  
ea

ea sint, de quibus agatur, non lateat,  
quam denique cognitionem fructuosio-  
rem hic reddunt *chemica* quoque dog-  
mata, dum ex iis patet, *quanam mixtione*  
*principia corporum constitutiva* agant,  
quomodo recipiantur, mutentur, quove  
modo his sanitas, & bona corporis hu-  
mani mixtio, conservetur, aut mu-  
tetur.

Atque ne quid profuturum hic desi-  
deretur, paucis lineolis, rubricis, sum-  
mariis, & saepe verbulis tantum, ne ni-  
mis dicta hic repeterem, ea indicavi, de  
quibus ampliori sermone, in ipsis prae-  
lectionibus, agi potest, ut tamen & haec  
ars, longa alias vocata, adhibita ubique  
discretione debita, brevis fieri, ipsaque  
vita, brevis alias vocata, longa fieri queat,  
si detur *opportunitas*, bonaque *voluntas*.

Ador.

Adornato itaque sic compendiolo quodam, faciliores intelle&u,& applicatione, forte reddentur libri' alii , scriptaque diaetetica alia, si ista consulere placuerit, & ex iis haurire, quae de his rebus uberius dicta sunt, sive totum scientiae ambitum comprehendant, sive de singulis, quae sanitatem conservant, vel alterant, specialiter &, compilatesaepe, agant.

Atque cum *diaeta* antiquitus iam pr uno e fontibus, sic dictis, tribus therapeuticis habita, merito, sit, sine qua & reliqua medicina fere nulla est, ea & hic conferre expedit, quae HIPPOCRATES, GALENVS, CELSVS, IVLIVS ALEXANDRINVS, aliquique, olim scripsere de hoc argumento: eaque, quae in SCHOLA sic dicta SALERNITANA, in SANCTORIO, CORNARO, BACONE de VERVLAMIO, HIERONYMO MERCVRIALI, RAMMAZZINO, aliisque, continet-

tinentur: inque scriptis aliis, & magis modernis, diaeteticis, a WEDELIIS, HOFMANNIS, IVNKERIS, SCHULZIIS, GAVBIIS, GORTERIS, LINNAEIS, CARLIIS, FISCHERIS, TISSOTIS, LVDWIGIIS, KRÜGERIS, ROSENIIS, ZÜCKERTIS, BAVMERIS, BVCHANIS, de PRESLIIS, VNZEKIS, eum in finem concinnatis: quorūsum & plures pertinent, qui dissertationibus, & opusculis, peculiaribus singula quaedam capita diaetica exantlata dederunt: aut *materiam medicam*, & *alimentariam*, imo *medicinam quandam domesticam*, ex omni naturae regno, exhibuerunt: aut quoque, varias hominum, in variis telluris regionibus, inque variis hominum negotiis, vivendi rationes, in *itinerariis*, aliisque relationibus, cum publico comunicarunt: & denique illi, qui in constitutis *politiae* rationibus desudarunt, quatenus & his perfecta *vita socialis*, & *civilis*,

civilis , felicitas , servari debeat , qua quidem felicitate nemo recte frui potest , nisi simul suppeditentur , & recte distribuantur , ea , quae vitam , & sanitatem , possint conservare , & nisi removeantur ea , quae illam invertere , aut plane tollere , queant , obstacula .

Cum itaque non vivere solum , sed bene valere , vita sit , habere me reor , unde laeter , si , in monstranda ad sanitatem via , nec ducendo per devia , me quoque & hoc labore non infeliciter fundum esse , aeque rerum iudices putabunt , & plures inde usum , cuique suum , quemque mihi , in edenda hac opella proposueram , summo aspirante numine , reportabunt : atque si licebit etiam cuicunque , recte agenti , sua sanitatem frui . Quod erat in votis !

I.



I.

T R I E I N H.

1. (B. 1018.) *T*ria sunt munera Artis *tuerdae valetudinis sanae*; nempe conservare praesentem; *Morbos in tempe-  
rie, vt in semine, latentes, & facile exci-  
tandos, praecauere*; *Vitam disponere ad  
longaevitatem.*

De muneribus artis medicae in genere,  
eiusque necessitate, et, pro re nata, po-  
testate. — De medico sanorum. —  
De *bygieines*, et *diaetetics*, scien-  
tia. — Notio *vitae*, et *sanitatis*. — De  
*vita celeri*, et *tenaci*. De *mente sana*,  
in *corpore sano*. 886. De tuenda *bona va-  
letudine*, et *bona voluntate*. De *Regimine*. —

2. (B. 1019.) *Sanitas enim, quum sit  
aptitudo in corpore ad exercendas actiones,*  
et quum haec consistat in determinata mo-  
bilitate partium tam firmarum, quam  
fluidarum, necessario haec ipsa, inquam,  
B Sani.

## GENERALIA

Sanitas, si semel ponitur perfecta, detinret ex sua natura partes firmas, consumet fluidas, corrumpit vtrasque, adeoque se ipsam destruit.

De *natura corporis physica, mechanica, animali.* — De mixtione, concreto, vita, et sensititate, *viribus, motu.* De necessaria C. H. compositione e heterogeneis. De destructione per alia, aliquove, saepe impuni: & consumtione, quae fit, sibi, aliisque, varie, inseriendo.

3. (B. 1020.) Proinde Sanitas conservatur jugiter restituendo eandem copiam, et qualitatem, partium omnium in corpore, quales ante descriptam destructionem (1019.) in corpore erant, in firmis, fluidisque, partibus.

Differentia incrementi, et nutritionis, praecipue secundum aetates.

4. (B. 1021.) Restitutioni huic (1020.) materiem praebent, cibus, potus, forte et aëris: hanc preparant, et aptant, gesta in corpore per *actiones vitales, naturales, animales:* preparatam applicant locis requisitis, et reparandis, eadem gesta: denique et per ea liberatur a superfluis, crudis, nocitulis.

De Pathologia, et Therapia, sani corporis.  
II. SIG-

## II.

SIGNA GENERALIA  
SANITATIS OPTIMAES.

5. (B. 882.) **H**aec quidem peti debent ex actionibus corporis (695.1021.) exercitatis facile, commode, laete, constans.

An, qui bene ingerit, digerit, egerit, sanus est? De sanitate parva, et statu valetudinario. *De Semiotica physiologica.* V. 886.

6. (B. 883.) Quarum quatuor conditionum tres priores facile cernuntur, quarta difficilior: etenim tantum cognoscitur maxima constantia per ea signa, quae indicant, futuram esse in eo corpore magnam longaevitatem; et hinc eadem quoque praenunciant plerumque sanitatem firmam.

*De sanitate relativaz.*

7. (B. 884.) *Signa autem illa longaevitatis* omnia sunt effectus ejus *indolis* totius machinae, quoad solida et fluida, unde in primis pendet *durabilitas* ejus, quoad rotam compagem; haec vero est reductio assumtorum in naturam similem illis, quae jam constituunt machinam sanam.

B 2

De

*De probabilitate longae, et qualis, aetatis,  
in commodis, et incommodis, vitae,  
& exspectationum.*

8. (B. 885.) Operosae observationis be-  
neficio, Signa haec possunt referri in Eu-  
ropa ad has classes:

1. *A Generatione.* Conceptus ex parenti-  
bus sanis; vegetis; plenae aetatis; rara,  
sed fervida, venere utentibus, matutino  
tempore, post perfectam a somno coetio-  
nem, tempestate verna, in primis, & fa-  
lubri.

*De populatione varia.* An Venus promis-  
cua? An furtiva, felix? De oestro  
hominum, & reliquorum animalium.

2. *A Gestatione in utero.* Mater prae-  
gnans bene sana; corpus satis exercens  
fortiter; mentem tranquillam habens; &  
unum modo foetum simul utero alens, ex  
alimento salubri.

*De dispositione haereditaria.*

3. *A Nativitate.* Partus post novem in-  
tegros menses omnino absolutos a primo  
conceptu, maxime si ille incidit in men-  
sem Decembrem, Ianuarium, vel Februa-  
rium.

De

De partu Septimestri. De *indicibus* natorum, & demortuorum, annuis, & resultatis inde.

4. A *Modo*, quo *corpus* *crescit*. Lentum, & maxime aequabile, incrementum molis, & virium, usque ad vigesimum quintum, & ultra, annum aetatis.

De temporibus *climactericis*. De *praecibus*. De *educatione medica*, morali, civili, militari, cet.

5. Ab *Habitu corporis*. Thorax latus, amplus; abdomen gracile & compressum, humeri, brachia, femora, crura, firma, torosa, carnosa, hirsuta, densis, fetosisque, pilis hirta; cranium magnum, & capax, maxime ad occiput, non a parte faciei apparente, sed fallaci specie, magno capite; cutis dura; caro multa; adeps parcior.

De *habitu athletico*, vario.

*Physiognomia*, varia, & arte expressa, & *judicio discretivo*. De *Mutatione habitus*, & sibi semper simili.

6. Ab *Humoribus*. Sanguis floridus quidem, at crassior, qui, extravasatus, concrescit cito, & satis valide, in molem tenacem; reliqui humores, copiosi, tenaces, modice calidi, minus oleosi, blandi.

**D**e *haematoscopia*, variae temperiei approprianda: & vitae generi. De *sanguine frigido*.

7. Ab *Actionibus*. *Respiratio* lenta, magna, plena, facilis, aequabilis, cum minima apparente mutatione organorum pneumaticorum; *pulsus* arteriarum latus, magnus, plenus, aequabilis, fortis, constans, nec per causas leviores facile mutabilis: *alvus* tardior, & sine incommodo sicca; *urina* parcior & cocta; *sudor* rarus; *somnus* profundus, aequalis, reficiens; *voracitas*, cum digestione facili; *tolerantia laborum*; *tarditas* tam ingenii, quam motuum animi & corporis, constantia ad mutationes accidentes.

**D**e *pblegmate* in *actionibus*, *durabilitatis modo*. De, suo tempore, *impetu*.

**V**arietas, *specierum generis humani*, secundum cogniti telluris regiones, et clima, et consuetudines, et ipsam Sanitatem. — *Notae Sanorum*, in *milibus*, *servis*, *nubilibus*, *nutricibus*, aliis, & in *animalibus*, obseruari solitae.

9 (B. 885.) Quod vero corporis fabrica apta sit exercere suas actiones facile, commode, laete, deprehenditur. **Ipsò**

Ipsa *sensuum* experimento. 1. Si signa adsunt modo exposita (885.) 3. Si partes solidae deprehenduntur esse, validae, tenaces, elasticae, quoad materiem; si sunt praeditae ea mole, forma, superficie, si sunt connexae eo modo, situ, proportione; vnde motus tam proprii, quam communes, tam in solidis, quam in fluidis, facillimi, expeditissimi fiant. 4. Si ea sit natura humorum, quae motus intestinos, circulatorios, secretorios, nutrientes, excretorios, efficit, sine inaequabilitate, et absque effectis hujus. Et quidem signum evidentissimum, quod docet hanc aequabilitatem adesse, est absentia pulsationum, tumorum, dolorum, calorum, immobilitatis; insensibilitatis, in variis partibus variorum. 5. Si ea est ratio unionis inter mentem et corpus, vnde moderati quidem, non vero vehementissimi, fiant affectus animi. 6. Si color est roseus et candidus, vel laete nigrescens; calor moderatus; ad sensum levitas. 7. Maxima vis resistendi omnibus morborum causis.

De insensibilitate non molesta, et sensititate molesta, in variis functionum organis. v. c. Ventriculo, capite. cet.

De experientia, sensuum ope: recta,  
et fallaci.

10. (B. 887.) Sed maxima potentia su-  
perandi causam singularem hujus illus-  
ve morbi, sive venenatam, sive conta-  
giosam, non notat semper sanitatem per-  
fetissimam; et contra: vt certe in mor-  
bis contagiosis, et in venenis, clare  
patescit.

De resistentia contra *plures* morbos,  
non vnum solum. — De morte ju-  
niorum, et pulchriorum.

### III.

## SANITATIS SINGULARIS SIGNA.

11. (B. 888.) *Visceris* cujusque optima  
conditio singularis co-  
gnoscitur, si *actio* ejus prompta, laeta,  
constanter, *in suis effectis*, deprehenditur;  
quae quum in Physiologia quam vberri-  
me explicata habeantur, facilissime huc,  
vera cum ratione, referri poterunt.

De *bona*, sic *dicta*, *natura*, in *vniuer-*  
*sum*, et de *sanitate*, et *aegritudine*,  
par-

partium, v. c. bono pulmone, ma-  
lo ventriculo, pede, cet. De sani-  
tate topica, et consensu variorum.

12. (B. 889.) Sed *Sanitas* est conditio  
haerens in tota compage simul *totius corporis*, constantis ex solidis et ex fluidis; haec ergo *unicuique homini priuata sua est*; ideoque tantum ratione sui singula-  
ris corporis talis est; unde igitur diuer-  
sa corpora, quae summopere differunt,  
tam in *solidis*, quam in *fluidis*, tamen  
singula sana esse poterunt; hanc voca-  
vere veteres *ἰδιοσυγνεασίαν*, vel *Sanitatem Temperiei*; quae proinde difficulter ad sin-  
gularia capita determinari potest; sed  
tamen proposita Antiquis diuisio in tem-  
periem *calidam*, *frigidam*, *humidam*, *siccum*,  
*biliosem*, *sanguineam*, *phlegmaticam*, *atrabi-  
liariam*, aliquem in Medicina usum habet.

*De Temperamento humorum, partium so-  
lidarum, animi.* — *De temperamentis  
mixtis.* — *Notio idiosyncrasiae, verbalis  
et realis.* — *De sensibilitate indi-  
viduali.* - - - *In se tentet descendere quisque.*  
*Temperam. calidum* convenit cum *cholerico*.  
- - - - *frigidum* - - - *phlegmatico*.  
- - - - *Siccum* - - - *melancholico*.  
- - - - *humidum* - - - *sanguineo*.

B 5.

De

**D**e temperamento *fibrae, tenerae, molli.* S.  
 - - - *fibrae crassioris, laxo.* P.  
 - - - *fibrae tenerae, stricto.* C.  
 - - - *fibrae crassioris, duro.* M.

**D**e Boeotico. De temperamento, et *charadere,*  
*nationali, & genio, vario.*

**D**e mutatione temperamentorum, pro  
 ratione *aetatis, educationis, adsuetudi-*  
*nium:* et interdum pro ratione *diei ho-*  
*tarum, et caussarum occasionalium —*  
**D**e *inclinationibus, eoque, quod marotte,*  
*etiquette, foible, steckenpferd, appellant.* —  
**D**e *functionibus, prout cborda tangi-*  
*tur. — De simulatione, & dissimulatione.*

**I**3. (B. 890.) *Calidi* temperamenti signa  
 describuntur esse pili flavi, crassi, copio-  
 si, toto corpore; color oculorum in albâ  
 parte rubescens, in carunculis lachrymali-  
 bus, facie, labiis, ore, valde ruber;  
**c**orpus gracile, agile, robustum, **calidum:**  
 pulsus major, crebrior; iracundia, sed  
 brevi furore detonans. His videntur esse  
 uasa robusta, contracta, viscera valida,  
 humores valde moti, densi, & acres; qui-  
 bus humectantia, diluentia, temperata,  
 profundunt; calefacientia quaecunque quam  
 maximè nocent.

De

De *prosoposcopia*, medica. — Epicrisis in modernam.

14. (B. 891.) Temperamenti *frigidi* signa, omnia contraria, enarrantur esse glabrities, pili tenues; color pallescens; corpus crassius, tardius, debile, frigidum, facile tumens; pulsus minor, tardior; *avacitatis*, metus. His humores blandi, aquosi, pituitosi, tardi; solida laxa, flaccida. Profundunt roborantia, calefacentia; nocent, frigida, humida, laxantia.

15. (B. 882.) *Siccum* autem temperamentum spectatur fere signis calidi, (890.) si simul adest macies; vasa hic contracta, humida pauca, & fere acriora. Nocent & juvant, ut in calido. *Humidum* autem facile convenit frigido, si tumor accedit, (891.) unde reliqua eadem.

16. (B. 893.) *Bilioſa*, s. *cholerica*, temperies cognosci describitur a pilis copiosis, nigris, crispis; duritie, macilentia, gracilitate carnis; colore fusco; venis magnis; pulsu magno, celeri; pertinacia; iracundia. His videtur major solidi, quam humidi, copia excedere; *siccis* convenient (802.) & calidis, (890.) calida, sicca, his nocent; humectantia, refrigerantia, profundunt.

16. (B. 894.)

17. (B. 894.) Sed *Sanguineum* temperamentum distinguitur pilis rarioribus, flavo albis, fuscis; carne molli, copiosa, venis amplis caeruleis, sanguine distentis; colore roseo; iracundiâ, flexili mobilitate. Profunt his evacuantia, & temperantia; nocent calefacientia, & stimulantia valida.

De temperamento, sic dicto, multo. —

18. (B. 785.) *Pblematicum* quoque depingitur glabritie cutis majore; pilis albis, tenuibus, tardè crescentibus, albedine, tumore, mollitie, pinguedine, corporis; venis angustis, latentibus; his videntur vasa sanguinea angusta, lateralia verò latiora; convenient frigidis (981.) unde & his humida, atque frigida, maximè obsunt; juvat quidquid calefacit, roborat, siccatur.

19. (B. 896.) *Melancholicae* denique temporei indicantia habentur glabrities; pili nigerrimi; macilentia ingens; siccitas magna; color ubique maximè niger, qui in tali natione cernitur; cunctatio, constantia; ira memor; magna penetratio intelligentiae. Quae his vasa videntur stricta, robusta, macria; humores densi, tenaces, admodum permisti, nec facile separabiles, aut mutabiles. Nocent his quam maxime calida, sicca, acria; juvantur

tur autem omni humectante, refrigerante, laxante, emolliente, leniter, sine acri, dissolvente. — De *aethiope, mancipio.*

20. (B. 897.) Porro maxima hinc utilitas in perspiciendis *morbis*, qui, ex quolibet tempore *amento oriundi*, unicuique proprii praevideri queunt, unde hinc magna pars causarum προηγεμένων pendet.

## IV.

## DIAETICA.

21. (B. 1022.) Totam hanc artem Sanitatis tuendae absolvipatet, descriptione legum, quae definitum usum classium recensitarum, (744.) vel, (745.) quo satisfiat illi scopo, jam descripto (1020.)

744. Classes hae, memoriae juvandae, reduci possunt ad *quatuor*: quae sunt;

1. *Ingesta.* Aër. Cibus. P otus. Medicamen. Venenum. Quae per spiracula cutis, narium; per meatus oris, pulmonis, oesophagi, ventriculi, intestinorum, pudenda muliebria, introgeruntur, Specie visibili, fumo, haustu, deglutitu, enemate, infuso.

2. *Gesta.*

2. *Gesta.* Motus corporis totius, partis-  
ve, affectus animi quicunque. Quies  
utriusque. Hinc Somnus, & Vigilia, huc  
quoque referentur.

3. *Retenta.* *Excreta.* sive salubria, sive  
recrementa, sive morbosia.

4. *Applicata externa corpori.* Aër. Va-  
por. Fomentum. Balneum. Vestis. Li-  
nimentum. Unguentum. Emplastrum.  
**Vulnerans.** Contundens. Erodens.

**745.** Quae eadem in sex classes alii di-  
idunt, titulo *Rerum non naturalium digestas:*  
quas nempe recensent ita, ut sint: 1. *Aër.*  
2. *Cibus, potus.* 3. *Motus, quies.* 4. *Animi  
affectus.* 5. *Retenta, excreta.* 6. *Somnus,  
vigiliae.* Hoc nomine donatae, quia usu,  
vel abusu, bonae naturales, aut malae  
contranaturales, fieri queunt.

**22.** (B. 1023.) Tamen difficile est ita pro-  
mulgare has leges, ut observatio earum  
omni homini aequaliter profit.

**De brocardicis:** *Nulla Diæta optima diæta.*  
— *Medice vivere, est pessime vivere.* —  
**De diaeta legali, & micrologica, libera,  
dissoluta.** **De cura sanitatis, & vanitatis.**

**23.** (B. 1024.)

23. (B. 1024.) Cujus difficultatis causa in  
*ἰδιοσυγκρατίᾳ* ut plurimum haeret; ideoque  
 operatur saepe effectus oppositos in ho-  
 minibus, qui tamen eandem normam vi-  
 vendi sequuntur.

24. (B. 1025.) Ita quidem, ut *unicuique*  
 servetur saepe *sua*, & *integra*, *Sanitas*,  
 licet utantur homines non tantum vario,  
 sed & plane opposito, *usu sex rerum non-*  
*naturalium*; quum contra, si vivendi ra-  
 tionem permutaverint vicissim inter se,  
 mox utriusque, alieno more fruentes, aegro-  
 tent, qui, suo morigeri, bene valebant.

Sic & *diversa diaeta* v. c. infantum, adul-  
 torum, senum, virorum, feminarum,  
 harumque, in variis sexus functioni-  
 bus versantium, sedentiorum porro  
 & varie laboriosorum, literatorum,  
 honoratorum, delicatulorum, ima-  
 ginariorum, & rusticorum, valetu-  
 dinariorum, aegrotorum, convales-  
 centium; Lapponum, Aethiopum, cet.

25. (B. 1026.) Ipsa quoque *consuetudo*,  
 quam non male *alteram naturam*, vel *ἰδιο-*  
*συγκρατίαν*, appellant, fert vix credenda;  
 sive spectaveris effectus aeris, cibi, po-  
 tus, motus, medicamenti, veneni, sive  
 consideraveris reliqua.

26. (B. 1027.)

26. (B. 1027.) Quamobrem *mutatio subita* a consuetis in nova, est ubique, & semper, quam maxime *periculosa*: licet ex malis vulgo habitis in bona putata transiverit.

27. (B. 1028.) Sed, *sensim mutando*, saepe variare vitam quotidianam, egregium est auxilium tuendae Sanitati.

**E**xercitium functionum varium, pro variis muneribus, & *diei horis*, & variis in iis obtainentibus.

## V.

### DE AERE.

28. (B. 1029.) **A**ër maxime *gravis*, adeoque simul, ut fere semper est, *serenus & siccus*, suo cuique loco saluberrimus habetur.

29. (B. 1030.) Aëris effectus varii; & ejus *favens*, vel *nocens*, natura; descripta habentur, ubi de causis Sanitatis (1060.) & morborum (746. ad 754.) in aëre latentibus, actum est; unde proinde peti debent.

**D**e aëre, ut corpore *fluido*, *gravi*, *elastico*: ut & *beterogeneo*. — **D**e athmo-sphaera

*sphaera varia. Lemmata e physicis experimentis, antiae ope institutis. — De barometro, thermometro, hygrometro, aliisque instrumentis, & observationibus, meteorologicis.*

30. (B. 750.) *Aer nimium gravis, comprimit omnes canales, humoresque, totius corporis, maxime autem in pulmonibus, unde resistantiam cordi nimis auget, motum humorum suffocat, occidit.*

*De loco humili. Vallibus. Cellis. Speluncis. Carceribus. Nosodochiis. Navibus. Metallifodinis.*

31. (B. 751.) *Idem si levis nimium fuerit, vasa, humoresque, minus premendo, dilatat, rarefacit, hinc tumores, eruptiones humorum, eorum in loca minus opportuna derivationes, inde morbos (732.) creat; sed tum simul minus valet vim contractilem, dilatationi resistentem, in fibris pulmonicis superare; unde respiratio sistitur, sanguis ibi accumulatur, peripneumonia velox, mors. Sed & ex iisdem, densi, rarique, aeris effecta patefcunt.*

*De aere montano., sublimi, raro.*

C

32. (B. 746).

32. (B. 746.) *Aer nimis aestuans*, humi-  
dissima oculorum, narium, oris, asperae  
arteriae, dissipat; vascula ibi exsiccat;  
pulmonis sanguinem magis cogit, utraque  
causa pulmonis actiones impedit; multos  
morbos inde oriundos excitat: humores  
externos semper tenuiores aufert, internos  
residuos excoquit, dissipat mobiliora, len-  
tiora aggregat, compingit, exsiccat: ergo  
partes aquosas, spirituosas, salinas vola-  
tiles, assiduo diminuit; contra vero salina  
fixiora, olea crassa & tenacia, acria exu-  
sta, & ijs involuta, tum terrestria fixa, au-  
get, accumulat, unit, in massas irresolu-  
biles adunat; hinc itaque, immeatiitas  
humorum, simul elongatio, & debilitatio  
solidorum, & quae inde sequuntur, ob-  
structio, exsiccatio, inflammatio, coctio  
impedita, putrefactio, alvus adstricta,  
sitis, stranguria, urina rubra, humores  
flavi, morbi acuti, calidi, siccii, quam  
maxime generari solent; in primis autem  
genus nervosum, lymphaticumque, &  
horum actiones, inde summopere laedun-  
tur.

*De refrigerio, vario, vitando. De catarrbis.*

33. (B. 747.) *Aer gelidus* fibras solidas ac-  
curtat, densat, roborat; hinc actionem  
earum

earum in humores auget; ubi autem regelascit, tum fibras dissolvit, destruit; idem aér gelidus humores cogit, densat, pulmonem siccatur, stringit, coagulatque sanguinem pulmonalem, unde obstructio, inflammatio, exsiccatio, anhelitus, tussis, coryza, catarrhus, mucus, pus, gangraena, sphacelus; si autem corpus simul *valde movetur*, tum actio solidi in liquores, & humores in liquida, adeo augetur, ut fiat summa attenuatio, perspiratio, voracitas, debilitas, animi deliquia, mors subitanea; si contra *quies*, summumque simul frigus aëris afficiunt, tum torpor, dolor ad artus, scorbutus, contingunt.

De congelatis. De regimine in aëre frigido. De pernionibus.

34. (B. 748.) Si idem nimium humidus, laxat, solvit, debilitat, fibras, in primis pulmonales, serum pulmonum retinet, auget, accumulat, perspirationem in iis prohibet; unde rursum tusses, peripneumoniae, serosae; diarrhoeae similes, torpores, & febres; si magnus calor illi jungitur, cita putrefactio, si magnum frigus, tum serosa colluvies.

De morbis castrenis.

C 2

35. (B. 749.)

35. (B. 749.) Atqui *nimas siccus* patrat fere eadem, ac si aestu nimio ageret.

36. (B. 752.) *Coelum, anni tempestas, solum, mare, montes, lacus, paludes, flumina, vapores, exhalationes, meteora,* aërem ita permutant, ut creet vários morbos, non pendentes adeo ex ipsa aëris indole, ejusve dotibus, qualitatibusque, quam quidem ex natura & efficacia admisi: unde etiam inde inquiri, atque intelligi, debent.

**D**e observationibus variis *astronomicis, astrologicis, & meteorologicis, variis, & regulis, sic dictis, rusticorum, — Calendaria, noviter reformata. De meteoris aëreis, igneis, aqueis, mixtis, iisque substantialibus, vel emphaticis. De eclipsi, physica, & morali. — De electricitate aërea. — Fluxu, refluxu maris, cet.*

37. (B. 753.) *Venti autem agunt in corpus nostrum vel suo motu, vel quatenus simul nobis advehunt qualitates aëris explicatas (749. ad 753.): impossibile est ea de iis dicere, quae omni tempori, & regioni, quadrant, sed cognitio chorographica loci, cuius solum vicinum undique perspectum est, comparata cum anni tempestatibus, aliquid boni, verique, hic adfert. Pariter certa, successi-*

va

va serie sequentium notabilis saepe effectus. Primario agunt ut calidi, frigidi, humidi, sicci. Hinc solida, & liquida, mutant.

De *transitus ventorum* morboſo. De mutatione *aëris*, & *objectionum*, medica, & politica.

De *aëre infecto*, & *commerciorum* inde ordinandis rationibus. De *aerophobis*.

38. (B. 1031.) *Qualitates* etiam *aëris*, excessu suo producentes morbos, emendari possunt oppositis inductis: *frigidus* enim & *humidus*, poterit mutari in *calidum*, & *siccum*, ope ignis accensi, per ligna *sicciora*, & *aromatica*, nutriti; halitu *aromatique* calidiorum, sponte, vel igne, fragrantium; vento calido admisso, vel arte excitato; si vero *calore*, & *siccitate* aér peccat, emendatur exhalatione dispersae frigidæ; vento artificiali; vel exspiratu halituum aquosorum ex plantis frigidis aquae immisis, ut sunt *salix*, *populus*, *rosa*, *sambucus*, *opus*, *morus*. &c.

De cauto *vaporosorum* usu. — De *vestimentorum* ratione ad valetudinem. V. & 1051.

De *ventilatione*, & *ventilatoribus*.

39. (B. 1032.) Aër igitur serenus, *gravis*, *temperate calidus* & *siccus*, a *mediterraneis puris*, & a *fluminibus*, spirans, *leni agitatus vento*, *subitarum* & *magnarum* *mutacionum expers*, *apricus* & *ruralis*, ab *exhalationibus salinis*, *oleosisque defoecatus*, optimus est in genere Sanitati tuendae.

*De aëre habitabili.*

VI.

DE CIBO ET POTU.

40. (B. 1033.) **Cibus** autem censetur optimus ille, qui *simplicissimus*, *parum foeculentus*, *acrimonia omni carens*, haud praeditus magna mobilitate *fuarum partium*, sano nostro corpori *simillimus*, aut illi *facillime assimilandus* per *vires nostras coetrices*, tum, in *acquisitionem praedictarum dotium*, *arte culinaria praeparatus*, est.

*De causa assumptionis cibi, & potus.*

*De fame & appetitu.* V. 757. 758. 1020.

*Pica, Malacia.*

41. (B. 1034.) Qualis habetur omnis quidem, qui deligitur i. ex *seminibus frumentaceis*,

taceis, farinosis, bene maturis, puris, moderate siccatis, satis recentibus, *Tritici*, *Zeae*, *Secalis*, *Hordei*, *Avenae*, *Oryzae*, *Fagopyri*, *Mays*, *Milii*, *Panici*, *Phalaridis*; atque tritu, subactu, fermentatione, cōtione, praeparatur ita, ut sapore, & odore, gratissimo, se commendet nomine *Panis*.

2. ex *leguminosis*, tam corticibus tenerioribus, quam seminibus adhuc viridibus, aut maturis, *Fabarum*, *Phaseolorum*, *Pisorum*, *Lentium*, *Cicerum*, *Viciarum*; dum maceratione, cōtione, tritu, saepe levissima tostione praemissa, parantur. 3.

ex *oleribus* recentibus, viridibus, aut, colligando folia crescentia, leniter utcunque suffocatis, *Lactucae*, *Intybi*, *Cichorei*, *Portulacae*, *Apri*, *Hippofelini*, *Brassicae*, *Malvae*, *Betae*; maxime, si levi cōtione in proprio succo moriuntur. 4. Ex fructibus tam solidioribus, quales *cinarae*, *nuces*, *amygdaea*, aut *bulbis raparum*, vel radicibus *Dauci*, *Pastinaceae*, *Raphani*, *Betae*, & similibus; quam mollieribus, ut sunt *poma arborea*, vel *plantarum scandentium annuarum*; *pyra*; *baccae*; *pruna*, *cerasa*.

5. ex succo, & corpore, *animalis sani*, junioris, non nimis pinguis; sive fuerit quadrupes, avis, piscis, sive & insectum, vel crustaceum; si elixatione, assatione, frixatione,

*tione, suffocatione, praeparantur, quo & lac & ova referuntur.*

1. *De materia alimentaria in universum, e regno vegetabili & animali. — Conversio in Succum & sanguinem. Gelatina. Polyphyla. Ollgochyla. Eupepta, Dyspepta. Farinosa. Panificium varium. Antiseptici. Gravantia. Succedanea panis. Heterogenea in cerealibus.*

2. *De cibo vegetabili. Lustratio specierum esculentorum, teneriorum, subtiliorum, crassiorum, flatulentorum, venenatorum, suspectorum, medicamentosorum, recentium, exsiccatorum, conditorum. — De arte coquinaria, & vasis. De morte ex olla. De crudis, frigidis, coidis, calidis.*

3. *De succis plantarum variis. De acribus, mucilaginosis, oleosis. — De acetariis, variis eorum speciebus, & ingredientibus. De oleo.*

4. *De fructibus horaeis. Cucurbitaceis, De emulsivis.*

5. *De viatu animali. De jūribus, variis, tenuibus, nutrientibus, consummatis, aliisque, & medicatis. Laeticiniis: Butyro: Caseo: Vid. 764. De pinguibus, & lardo. De animalibus*

libus *domesticis*, & *carne ferina*. De *carne salita*, & *fumo indurata*. — De *ovis*. De *piscibus*, *fluviatilibus*, *lacustribus*, & *mari-*  
*nis*, *cancris*, *ostreis*, *mytulis*, *cochleis*:  
varioque cunctorum habitu, & praepa-  
ratione, ad sanitatem.

De *alcalescentibus* & *acidis*. De *miscela*,  
e vegetabilibus, cum *aliis* vegetabili-  
bus, & animalibus.

De *victu aegrotorum*, variorum, & *con-*  
*valescentium*, in, & e, statu acuto, &  
chronico.

42. (B. 1035.) *Alimenta dura*, *sicca*, *crassa*,  
*ponderosa*, *foeculenta*, profunt his, qui-  
bus sunt *valida viscera*, *celeris digestio*,  
*motus muscularis ingens*, *humores moti*  
*valde in sanitate*. *Mollia*, *humida*, *tenuia*,  
*levia*, *defoecata*, his obsunt, vel perpe-  
tuam fere mensam imperant.

Uti labor, ita nutritio.

43. (B. 1036.) Illis vero, quibus *viscera debilia*, *difficilis digestio*, *vita quieta*, *se-*  
*dentaria*, *otiosa*, profunt cibi arte, vel  
natura, *simillimi chylo dilato*.

44. (B. 1037.) In temperie alcalescente  
conducunt acescentia (1934. 1. 2. 3. 4.);  
in acescente profunt alcalescentia (1034. 5.).

45. (B. 1038.) Ex quibus paucis tota ra-  
tio *delectus*, copiae, i*praeparationis*, ali-  
C 5 men-

mentorum peti potest; si modo prius cognoveris usuri viscera, humores, temperiem, aetatem, sexum, vitae genus, studia.

46. (B. 1039.) *Copia cibi optima cuique, quam sequitur sensus refectionis, non torporis. Tutior sobrietas, sed debilibus; excessus melior, sed robustis.*

*De pleno ventre, & repleto.*

47. (B. 1040.) *Condimenta autem ex acidis, sale, aromatibusve, petita, nocent sanis acrimonia sua noxia, vascula tenuissima laedunt, & falso appetitu, per stimulum excitato, corpus gravant plus, quam nutriunt.*

*De aromatibus exoticis, & nostratisbus.—*

*De sale, aceto. — De alliaceis, sinapismis, dulcibus, acutis. De conditis.*

48. (B. 1041.) *Quin & ex iisdem regulis intelligitur bonitas potus (1035. ad 1041.); si enim ille requiritur tantum ad emendandam sitim, siccitatem, crassitatem humorum: vel eorum acrimoniam, tum aqua frigida, limpida, levissima, inodora, insulsa, cursu exercitata, per flumina pura, est potus optimus homini robusto.*

*Notae aquae purae. De aquis soteriis. De potu glaciali. De acidulato. De correctione aquarum. — De siti. — De baustu frigido morbifico.*

49. (B. 1042.) Si vero potus requiritur simul eo scopo, ut calefaciat, in motus stimulet, & attenuet, tum prosunt cerevisiae coctae, fermentatae, ad defoecationem usque tantum asservatae, ut & vina limpida, fragrantia, grata. Sed & illorum delectus, copia, uetus, determinatur per conditiones assumturi.

*De cerevisis variis, tenuioribus, generosioribus, e cerealibus, aliisque vegetabilibus. De lupulo, aliisque additamentis.*

*De Vino Hungarico, Franconico, Rhenano, aliisque Germanicis, Gallicis, Italicis, Hispanicis, variis, albis, rubris, generosioribus, acidis, oligophoris. — Partes constitutivae, earumque proportio. — De arte bibendi. De vino mangonato, & arte nobiliori reddito. De posca.*

*De poculo sanitatis, hilaritatis, ebrietatis. vid. 762.*

*De spiritibus inflammabilibus, et potu vario spirituoso, & semi spirituoso, & refrigerante, macerato. Vid 762.*

*De ptisanis, et decoctis. De Thea, Coffea, Chocolata, eorumque succedaneis.*

*De suetione furni Nicotianae.*

50. (B. 1043.) Cibi minime pingues, & potus aquae, firmissima reddunt & fortissima corpora.

*Cat-*

*Cautelae in mensa*, tenui, & opipara.  
*Tuburcinatio. Masticatio. Potus.* —  
*De jentaculo, prandio, merenda, caena,*  
*modoque & in his rebus.* — *De mensa*  
*secundaria. De symposiis.* — *De motu,*  
*& quiete ante, & post, pastum.* —  
*Praejudicium, de sola, quam putant*  
*sufficientem, diaeta, quoad cibum &*  
*potum.*

§1. (B. 754.) *Cibi* quidem, & *potus*, *pec-*  
*care* possunt ad morbos producendos vel  
*copia*, vel *qualitatibus*.

§2. (B. 755.) *Copia* quidem, si male  
 agunt, *excessu*, vel *defectu*, id efficiunt.

§3. (B. 756.) Si *nimia copia* peccant, ni-  
 mis extenditur ventriculus, hinc, con-  
 vulsione nata, ora ejus clauduntur, vasa  
 ejus *comprimuntur*, dilutio, digestio,  
 contritio, separatio, expulsio, horum  
 prohibetur; inde *dyspnoea*; circuitus hu-  
 morum perversus, *cruditas*, *ruitus*, *nausea*,  
*cardialgia*, *vomitus*, *putrefactio*, *vertigo*, *con-*  
*fusio*, *cachexia*, quae omnia vitia, hic semel  
 nata, vix corriguntur in functionibus se-  
 quentibus.

*De epulis.* — *De diebus festis.* — *De fame-*  
*licis.* — *De vitiis concoctionis primae,*  
*secundae, tertiae.*

§4.

§4. (B. 757.) Quod si defecerit in *inedia* *absoluta*, equidem quum merus sit defec-  
tus, *per se* nihil efficit: Sed tum *interea*  
*temporis, actiones vitae persistentes*, solidas cor-  
poris partes *deterunt*, *destruunt*, *consumunt*;  
subtilissimos humorum dissipant, residuos  
inspissant; repetito continenter attritu  
solvunt, olea, & sales eadem extricant;  
volatilia, acria, rodentia ad minima &  
tenerrima vascula reddunt, *humores putre-*  
*faciunt*, *anhelitum foedant*; hinc spuma sali-  
na, acris, biliosa, putrida in ventriculo  
imprimis & in intestinis; ruetus; nausea;  
animi deliquia; ingens, & atrox appeti-  
tus; ejusdem deinde integra prostratio  
succedens; postea immanis sitis, siccitas,  
debilitas, tormina; borborygmi;  
bilis cumulus, vomitusque; macies;  
pervigilium; epilepsiae; febres furiosae;  
mors.

De morbis ex *annonae* defectu, & ca-  
ritate. — De *lejuniis*.

§5. (B. 758.) Ex quibus patet, *abstinen-*  
*tiam quoque nimiam, peiores mortos, creare*,  
quam *nimiam repletionem*, & longe diffici-  
lius sanari posse prioris, quam posterioris,  
vitia; sic dictante *Hippocrate. Aphor.* §.  
Lib. I.

Discretio.

56. (B. 759.) Illa autem vitia, quae in qualitate mala cibi, potusve, haerent, commode possunt revocari ad *acrimoniam*, *viscositatem*, aut *oleositatem*.

*De ordinatione acrionum, glutinosorum, medica, pro morborum ratione.*

57. (B. 769.) *Acrimonia cibi & potus est primo Salina*; haec autem est *muriatica*, *acida spontanea*, vel *fermentata*. *Prima* facit sicut, raucedinem, asperitatem, siccitatem, rigiditatem, acrimoniam in humoribus maxime ferosis, similem humorum dissolutionem, *serosae lymphae ineptitudinem ad nutriendum*, solidorum minimorum destrunctionem, dolores rodentes, *scorbutum muriaticum*. *Altera*, quae vel acida simplex, aut plerumque *acerba*, simul *adstringit*, *increbat*, coagulat, acidam acrimoniam, dolores lacinantes, algentes, cardialgiam, *pallorem*, *scabiem*, in primis creat; atque praecipue residet in fructibus horaeis paulo minus maturis. *Tertia* denique in *vinis acidis*, aut *acetis*, consistens, fere similia facit, at leviora, deinde prae caeteris *nimio usu assumta*, acre, acidum serum facit, unde *rheuma*, *podagra*, & similia.

*Anamnesis*, hujus diaetae, in aegrotis. — *Diatthesis varia humorum* — An *podagra*

dagra sine Sale? — Differentia *Acris* in genere, & specie: ejus compositio, & decompositio.

58. (B. 761.) *Acrimonia* secundo in cibis, & potu, est: *Aromatica*, ut plurimum constans ex sale & oleo, acribus unitis; haec facit sitim, siccitatem, calorem, ardorem, stimulum solidi, velocitatem humorum, liquidi dissipationem, hinc cardialgiam, ardorem stomachi, nauseam, ructus, vomitus, febres, maciem, contracturas, & morbos independentes.

*Discretio*, circa varii telluris incolas, et aromatum loco natali. — De oleo essentiali. — De ventriculo, interdum aromatica jubente.

59. (B. 762.) *Acrimonia* tertio est *Spirituosa*, fermentatione parata, tempore diurno aucta, destillatione in summum gradum evecta; est ut plurimum in *vino*, in *cervisia antiqua*, *spiritibus stillatitiis*; producit sitim, temulentiam, fibrarum constrictio- nem sicciam, humorum coagula, vix resol- venda, stimulum celerrimum, & citissime evanescentem, partium solidarum, hinc sumمام necessitatem similis potus assiduo audioris, inde debilitates, flatus, obstruc- tiones,

*nes, febres, tumores, leucophlegmatiam, hydrops, & similia his mala.*

*De metamorphosi hominis per inebriantia, et alia phantastica. De poculis Circaeis — De abstemiis.*

60. (B. 763.) Quarto denique deprehenditur *acrimonia* penetrans *Fermentans*, quae in primis in musto crudo *fructuum boraeorum*, aut in vino, cereuisiave, *in ipso actu fermentationis*, cito suppressae, clausis; haec creat ruetus, *inflatus*, spasmos ventriculi, intestinorumque, vomitum, choleras, diarrhoeas, dysenterias, ileon, et alia.

*De eo quod Gas vocant, et aërem, vaporosum, explicitum — De eo, quod respiratione adducitur, et eo, quod in ventriculum fertur, ejusque vehiculo.*

61. (B. 764.) *Viscositas* autem nimia ciborum ex *farinosis non fermentatis*, aut ex *gelatinosis animalium*, tum ex *caseo lento*, aut presso nimie *coagulo latis*, gignit pondus *instomacho*, *flatus*, ruetus, acorem, cruditates, vasculorum tenuiorum in intestinis obstrunctiones, hinc intestinorum inertiam, *abdominis infardi tumorem*, duritiem; tum deinde ipsi sanguini infert viscosi-

scositatem malam, ex vnitis iterum viscosis particulis, hinc *obstrunctiones ad glandulas*, pallorem, inertiam, frigus, tumores; sed & patet, quod *frigida*, dēta potentia, *similia* faciant; tum etiam, quod prae caeteris noceant *quiescentibus corporibus*.

**D**e *pastillis* — aliisque *placentis*, et *pisturis*.

**D**e *solano esculento*, et *sole altissimo*, esculento, aliisque, quoād mixtionem, congeneribus, et suo loco conuenientibus, vel restringendis.

62. (B. 765.) *Nimia vero Oleofitas*, solida lubricat, laxat, dibilitat; oscula minima- rum vasculorum obstruit; hinc *introitum aquosorum impediu*; miscelam humorum depravat, *acria nidorosa*, urentia, excitat; hinc ruetus, naufeas, *vomitus amaros*, oleosos, creat; tum *situm immanem*, obstructio- nes, inflammations, *indigestiones viscerum*; & male inde orta, efficit.

**D**e *oleoforum usu*, in *fiba strida*.

**D**e *obesitate*.

**A**n desistendum a cibis, appetitu non plane expleto?

## VII.

## DE MOTU ET QUIETE.

63. (B. 1044.) *C*orporis Motus, ad primum usque exortum lenissimi sudoris, vel usque ad sensum incipientis lassitudinis, post initia coctionis, cum sensu levitatis, optimus est. Unde & Quietis regula pendet.

*Utilitas motus muscularis: Acceleratio sanguinis, praecipue venosi. Proprio-tio secretionum & excretionum. Sta-gnationum propulsio, torporis a verrun-catio, antagonistarum aequilibratio, Fibrarum robur. Expletio destinatio-num. Quies gratior.*

*De regimine sedentariorum, per necessitatis, & officii, & commoditatis, rationes.*

*De laborioso vitae genere in universum, & consuetudine. — De motu voluntario, propter janitatem — De medicina gymnastica veterum, eiusque speciebus. — De motu passivo, & activo. De medicina gymnastica moderna, v. c. ambulatione, Saltatione, pila, palaestra, equitatione, vectione, navigatione, natatione, bal-neo,*

neo, frictione, peregrinatione, laboribus agrestibus, fermocinatione, cantu, flatu, ritu, ludis variis, artibus mechanicis, electrificatione, cet.

— De statione.

De motu vario, pro ratione aetatis, sexus, munerum, & dignitatum. — De recreatione. Regulae & cautela circa motum. De motu, grato, utili, finali. — De haustu frigido, noxio post motum.

64. (B. 769.) Quies nimia muscularum in toto corpore, vel in aliqua singulari parte, fibras muculares motui ineptiores reddit; minuit velocitatem in omnibus humoribus; hinc concretio, inspissatio, inertia, tam fluidorum, quam principiorum, ea constituentium; cellularum repletio, medullae aggregatio; obesitas; leucophlegmatia; frigus; torpor; pigritia, avitardia. Unde ergo otii, & vitae sedentariae, effectus cognoscuntur.

De otio, ignavia, phlegmate. — De stimulis ad motus, physicis & moralibus. De distractione. De commodis vitae mobilis, physicis et moralibus. — De senectute incommoda. — De transitu laboriorum ad quietem noxio. — De quiete laesorum. — De occupatione, salubri, & morbosa.

65. (B. 766.) *Motus nimius muscularis in toto corpore, vel in aliqua singulari parte, augeri semper villorum muscularium contractions, & laxationes reciprocas; simulque velocitatem, in omnibus humoribus; hinc fluida, & solida, nimium attrita, dissolvuntur; aquosa, spirituosa, mobilia, diffundantur; residui humores in densitatem inflammatoriam mutantur; interim olea, & sales, nimis attenuata, trita, volatilia facta, acria, reddita, quasi in putredinem exaltantur; crassa, & tenacia, olea, accumulantur; humores quasi exusti redduntur; omnium maxime bilis; medulla consumitur; cellulae ichore replentur; macies fit; hinc desatatio, dolor, inflammatio, febris, suppuratio, gangraena, haemorrhagia, mors subitanea.*

*De morbis organicis, e motu. — De fibra senili, e motu. De morbis laboriosorum, opificum, — & pro traditorum ratione.*

66. (B. 767.) Si autem acciderit *cacochymosis*, aut *consumto* fere viscere quodam laborantibus, tum etiam, *in summo aestu, subito letalis.*

## VIII.

## DE SOMNO ET VIGILIA.

67. (B. 1045.) *Somni tempus*, quando corpus sanum torpet. Optima eius mensura, agilitas corpori, dum evigilat, nata.

68. (B. 768.) *Vigilia nimia consumit spiritus*, nulla arte, nisi somno, reparandos; exsiccat reliqua; atterit solida minima, in primis cerebri, auget acre; coctiones, nutritionesque, impedit; bilem exasperat; hinc productio maciei, febrium, deliriorum, bilis atrae generatio, agitatio, evacuatio, harumque tetrici effectus, tristitia, phantasia depravata, inquietudo perpetua.

De caussis, & necessitate, *somni*, physice, metaphysice, consideratis — De *agrypnia*. — De *hypnoticis*, physicis, moralibus. — De *tempore somni*. De somno *meridiano*. — De *decubitu*. — De *clinotechnia*. — De *aurora musis amica*, & *inimica*. — De *insomniis*. — De *noctambulis*. De *lucubratione*. — De *avertentibus somnum*.

69. (B. 770) *Somnus nimius*, volatilia consumit; inspissat sensim reliqua; ea in  
D 3 vasa

*vasa lateralia aggregat, vix movet; figit excrementa; aggravat cerebrum; caput replet; sensus, motusque, hebetat; reliqua fere omnia iam dicta (758.) procreat, hinc simul iis maxime nocere, qui in eum prae caeteris proclives; prodesse his, qui in pervigilia promti, videtur.*

*De sopore, lethargo, comate, caro. — De somno ex crapula, e refrigerio. — De solutione morborum in somno: & nutritione. — De oscitatione, pandiculatione,*

## VIII.

## DE EXCRETIS ET RETENTIS.

70. (B. 1046.) *Omnia medicamenta, vel evacuantia, vel acria, cuiuscunque tituli, vitanda omnino sunt. (Sano.)*

*Doctrina de secretione & excretione. — De humoribus laudabilibus, excrementitiis, mediae indolis. — De excernendis, retinendis, — Regulæ generales. — De vestimentorum ratione ad excretiones. — De moralitate excretionum, libertate, & babena.*

71.

71. (B. 1847.) Sed purgationes cutis exter-  
nae, per frictions, loturas, balnea, fomenta,  
natationes, deterjiones, egregie prosunt.

72. (B. 772.) Salivae excretio nimia turbat  
coctionem primam, hinc & sequentes,  
profert sitim, siccitatem, bilem atram,  
tabem, ἀτροφίαν: si autem non excernitur  
in os, aut longe parcus solito, impedit  
tum ciborum manductionem, saporem,  
deglutitionem, digestionem; augetque si-  
mul sitim.

De masticatoriorum usu, & abusu. De  
Suctione, & captione, tabaci. De hypochon-  
driacis sputatoribus. De muci & pitu-  
itae, per nares, excretione. De pi-  
ca nasi, & pulvere errhino.

73. (B. 737.) Bilis excretio nimia per  
superiora, vel inferiora, orbat chylopoiesin  
primario instrumento; hinc impedit cibo-  
rum coctionem, secretionem, foecum  
excretionem; producit temperiem acidam,  
frigus, debilitatem, pallorem, leucophleg-  
matiam, deliquia. Si vero confecta impedi-  
tur fluere in cavum intestini, icterum creat,  
& simul praecedentia vitia.

**D**e vomitu vario: De Iracundiae effectu vario. De bile absque ira. De atra bile.

74. (B 774.) *Lympha pancreatis & intestinorum*, si nimia copia depellitur in intestina, producit mala similia, ac taliva sic per cans; (772.) sed & simul diarrhoeas serofas praeprimis; unde summae debilitates, animi deliquia, siccitates, litis, febris hectica, marasmus. Si non fluit in intestina, vel parcissime, tum facit moles in intestinis crassas, compactas, hinc pondus, repletionem, tormina, volvulum, litim, febrem, alvum duram, tumores, &c.

**D**e alvo adstricta, obstruta, segni, liquida.

**D**e flatulentia, & vaporibus.

**D**e eccoproticis, aperitivis.

75. (B 775.) *Sanguinis nimia excretio*, sive per anastomosin ex hepate, intestinis, renibus, utero, fiat; sive per diaerezin, diapedesin, aut vulnera; tollit vires; minuit spiritus; destruit omnes actiones, accumulat cruda; aquosa, pallida; frigida; producit leucophlegmatiam, hydropem; laxitatem in omnibus vasis; in arteriis autem capacitatem.

tem. *Cruor autem per haemorrhoidalia vasa, aut naturalia mulierum, vel & per alia minus consueta loca, dudum iam, & periodice, evacuari solitus, interceptus nunc, facit topicas, dirasque, inflammationes; circulationis suffocationes; febres; mira morborum, & varia genera; maxime autem valde mirabiles alibi haemorrhagias.*

Doctrina de *haemorrhagiis naturalibus, & discreto circa eas iudicio.*

76. (B. 776.) *Seminis excretio nimia* facit lassitudinem; debilitatem; immobilitatem; convulsionem; maciem; siccitatem; membranarum cerebri dolores, calores; sensuum, maxime Visus, hebetudinem; tamen dorsalem, fatuitatem; varios his affines morbos.

*De pollutionibus, Mastupratione. Gonorrhoea.*

*Castitate. Oestro. De morbis venereis non virulentis, tamen Sonticis.*

77. (B. 777.) *Urinae excretio nimia*. facit siccitatem; humorum immeabilitatem, ardorem, sitim inexplebilem; cruditates, spirituum subductionem; maciem; atrophiam; & mala his similia. *Nimius autem Sudor* ferme eadem efficit: *Urina autem suppressa vesicam, ureteres, pelvim, renes,*

D 5                      disten-

distendendo, rodendo, putrefaciendo, labefactat, corrupt; toti lymphae cruentis acrimoniam alcalescentem conciliat; hinc cerebri tenella stamina laedendo, anxietates, sopores, insomnia, vertigines, appoplexiam, profert.

*De dysuria varia, & diabete varia. De urina, sic dicta, potus, & sanguinis.*

78. (B. 778.) *Sandoriani perspirabilis excretio nimia* facit debilitates summas; hinc animi deliquia; mortem inopinam. Si vero parcior est; vel sublata; facit extremae cutis vascula siccari, emori: hinc & maiora excretoria obstrui arefacta; mutatur hinc circulatio, retinetur acre; oritur putredo; cruditas; febris, inflammatio; apostema.

*De sudore, ut morbo. De squalore cutis.*

— *De exanthematibus. De sudore particulari. De repulsione, retrocessione, eiusque effectibus variis.*

79. (B. 779.) *Applicata externa frigida;* meatus claudunt, fibras contrahunt, tenta retropellunt, exhalationem, impediunt; hinc efficiunt quae perspiratio impedita. *Calida autem aperiunt, laxant, exhalant,*

halant, versus cutim ducunt, sed exsiccant. *Humida abluunt excrementa, apriunt ora, laxant vaſa, alliciunt extrorsum, unde si nimia, morbos producunt, ut Sudor nimius (777.) Sicca contraria faciunt: ex quibus efficacia balneorum, fomentorum, epithematum, intelligitur, si prius cognoscitur materies, qualitas, modus, duratio que applicandi, ut & reliqua memorata (744. 4.) prius facilime capiuntur.*

*De Cosmeticis, abſtergentibus, variis. —*

*De balneo frigido, & calido, & discreto, pro re nata, usuri. De pediluviis, maniluviis, frictione, pedinatione. — De diapasmate, coma calamistrata, varia, capillamentis, mitris. — De mundicie, & affectata.*

## X.

### DE PATHEMATIBUS ANIMI.

80. (B. 1048.) **A**nimi autem affectus, non sunt omnino supprimendi; sed neque excitandi nimis; torpor enim oritur, vel circulationis perversio. Spes, & desideria, corpori saluberrima deprehensa sunt.

De

*De functionibus animalibus* in genere. —

*De potentia pathematum animi* in *corpus*: *De compositione* in *adsvetis* *De philosophia Stoica*, vera, & affectata.

— *De habitu corporis vario*, circa *receptivitatem pathematum*, & *activitatis inde!* *De aequanimitate*, *indifferentia?*

— *De cordis humani arcanis.*

*De instinktu*, & *ratione efficaciae representationum*, & *pathematum. Finis*, s. *intentio*, *motuum oriundorum.*

*Classificatio pathematum varia*, v. c. *secundum leges appetentiae*, & *aversationis*, *amoris & odii*. — *Tactus chordae inclinationum praecipuarum.*

*Species affectuum animi.* v. c. *Desiderium* in genere, s. *Cupiditas*, *voluptatis*, *honoris*, *opum*. *Inde libido*, *arrogantia*, *avaritia*, — *amicitia*, *inimicitia*, *invidia*, *aemulatio*, *obtredatio*, *malitia*. — *Spes!* — *Spei*, *impletio*, *frustratio*. *Inde laetitia*, *gaudium*, *audacia*, *timor*, *tristitia*, *moeror*, *cura*, *terror*, *pudor*, *languor*, *desperatio*, *exinanitio*, *conscientia*, *misericordia*, *pigritia*, *dubitatio*, *pusillanimitas*, *patientia*. *Repraesentatio*.

tatio perfectionis, vel imperfectionis, verae, & putatitiae! — De monitoribus asperis.

81. (B. 771.) *Affectus animi*, violenti, aut diu permanentes iidem, cerebrum, nervos, spiritus, musculos, mirabiliter, & efficacissime, mutant, figunt, depravant; unde quoscunque fere morbos valent producere, & fovere, pro sua diversitate, & duratione.

De utilitate pathematum, & effectu saepe salutari — De stimulis actionum, inertia, phlegmate, impetu. De Irritabilitate, sensibilitate. — De morbis sine materia.

Nexus philosophiae moralis, cum diaetetica.

Effectus communes pathematum, praecipue ex alteratione, nervorum, vasorum, viscerum. — De ratione verbi: σπλαγχνιζοματ. — v. c. E gaudio, salus, interdum noxa. E metu pallor, tremor, alvus. Ex ira, fervor, furor, bilis, micturitio. E terrore fuga, confusio, palpitatio. E moerore, melancholia, frigus, torpor.

De gustu, quatenus eum & sequitur aetio, aversio, voluptas, vel prout aliquid diuidicatur.

catur. — De habitu, *pulchrum*, de-forme, & *turpe*, in obiectis dete-gendi, atque ea, quae, aut consentiu-variorum in uno, *perfectionem* de-signant, aut eius contrarium. — Individu-alis placenta, aut displicen-tia, & cuique propria—De Sensu com-muni. — De *mature* vel *immature*, *anticipato*, vel *postposito*, *procrasti-nato*, vel ex arena *capto*, *confilio*, eiusque exsecu-tione.

Nunquam sibi *plane* satisfaciendum! re-linquentum aliquid, quod optes!

De *elatione animi*, *fervore*, *enthusiasmo*, *imbecillitate*, *microsophia*. Sophista affe-ctuum priorum quilibet!

De actionibus, favente *Minerva* suscipien-dis, vel invita mutandis. De *volun-tate*. v. & 1056.

De *speciebus laetificantibus variis*.

De *morbis vesanis*, *hypochondriasi*, & *hysteria*, aut e minorum magna aesti-matione, aut competentium negatio-ne, aut desideratorum, iure, vel nor, carentia, aut morbo.

XI.

## XI.

ΠΡΟΦΤΛΑΕΙΣ.

82. (B. 1049.) Praecaventur morbi, dum,  
simulac *ad futuorum signa*  
deprehenduntur prima, statim occurritur  
eorum causis.

De *Propathia*. De praeservatione ab *im-*  
*minentibus*, pro varia *muneris* ratione.  
— — *Tu contra audientior ibis!* Nimia  
interdum sanitatis cura! — De me-  
dicamentis, sic dictis, *praeservantibus*.  
— De negligentia obliitendi *principiis*.

83. (B. 1050.) Primaria vero remedia  
Prophylactica *morborum*, brevi oriturorum,  
sunt profecto haec: - *abstinentia*, *quies*, *po-*  
*tus aquae calidae*, deinde *blandus*, & aliquam-  
diu continuatus, *motus*, usque ad initia le-  
nis sudoris, tum postea *somnus largior*,  
corpore bene testo, his enim crassa diluun-  
tur, laxantur *vasa*, excernuntur noxia.

De prophylaxi in *morbis contagiosis*, *epide-*  
*micis*. — *Non nimia saepe*, in cibis, *absti-*  
*nentia*! nec terror *Panicus*! — De pro-  
phylaxi, in epidemia *variolosa*. — De  
regimine *inoculandorum*, *inoculatorum*.

84. (B. 1051.) Neque est aliud, quod  
plus defendit corpora *contra vim cauila-*  
*rum externarum*, quam si quis *verno tem-*  
*pore*

*pore tarde minuat vestimenta hyberna, rursumque cito augeat aestivas uestes autumnali tempore.*

85. (B. 1052.) Eodem etiam facit quam plurimum moderamen diaetae simplicibus descriptum & paucis regulis his: aestate condūcit viētus levis, mollis, laxans, humidus, lenis, ex oleribus, fructibus, lacte, iusculis; cum potu copioso aquoso, vel admodum diluto; & cum motu corporis leniore, vitato omni violentiore.

*Hyeme prodest viētus gravis, durus, siccus, aromate, vel sale, acrior, caro affa, panis plus coctus; cum potu parciore vini meraci; & cum motu corporis validiore plus exercitato.*

*Vere, & Autumno, viētus moderandus media quasi inter aestivum & hybernum temperie; considerando simul, in quodnam horum temporum plus, minusve, inclinaverit.*

*De prophylaxi in itineribus, variis, in variorum officiorum expletione.*

## XII.

### DIAETA AD LONGAEVITATEM.

86. (B. 1053,) *Corpus bene sanum, per actiones a vita fana inseparabiles, sensim ita mutatur, ut fibrae minimae*

mae rigidissimae fiant, vascula autem tenuissima concrescant in fibras concretas, & humoribus non pervias, vasa maiora durescant, arctenturque, omnia autem simul contrabantur, compingantur, concrescant sibi invicem, unde pccitas, immobilitas, imminutio senilis. Hinc vasculorum minimorum munera destruuntur, humores in iis stagnant, lentescunt, coalescunt inter se, & cum canalibus propriis, adeoque subtilissimi deficiunt, coëtio debilitatur, reparatio deficit, crassiores per sola maiora vasa lenti decurrunt, & vitam solam, absque animalibus actionibus, sustentant, unde tandem mors senilis, per has mutationes, accidit inevitabilis, & ex ipsa Sanitate sequens.

*Metamorphosis humana, secundum aetas, & vitae periodos, pro vario in his celebrato vitae genere, & specie.*

*De Macrobiis. — De senectute iuniorum.*

*De senio. An senes bis pueri? An felicitas est longa vita semper? dum morbus! et interdum, hic vel ille, vel*

*Filius, ante diem patrios inquirit in annos.*

*De rude donatis! — De senectute viridi. — Decrepita. — De marasmo. —*

*Discretio circa acta, & actores, alios*

E post

66 DIAETA AD LONGAEVITATEM.

post alios : scenasque, & *vicissitudines*,  
*rerum*. — De *privilegiis* aetatum.

87. (B. 1054.) Quae igitur *citior accidet*,  
si *actiones vitae sanae violentiores fuerint* ;  
tardior, si *moderatores*. Atque in *modera-*  
*mine iustae hic mediocritatis videtur promitti lon-*  
*gaevitas possibilis arte*, maxime si *hygieine*,  
& *prophylaxis*, conspirant ita in suos effe-  
ctus, ut non turbent hunc *scopum* ;  
cuncta fere huc redeunt, si collecta erunt.

*Diaeta longaevitatem anhelantium, & iam se-*  
*num ! Horumque cuiuslibet, pro curta,*  
*longaue, suppelletili, & concessa mortalibus*  
*opportunitate, & voluntate.*

88. (B. 1055.) Debent corpori *conciliari*  
omnes illae conditiones, quae explicatae  
sunt (885.), quantum ulla arte id obtineri  
poterit. *Actiones corporis* ita instituenda,  
ut *reparatio perdit*i, *assimilatio assumti*, *incre-*  
*menti requisiti terminus*, *foecis expulsio*, *blande*,  
*lente*, *affiduo*, *fiant*; unde *labor moderatus*,  
*affiduus*, ad initia *levissimae lassitudinis*,  
*prodest*; in pueritia *levior*, sensim *in-*  
*crescens* cum aucto *robore corporis*, rur-  
sumque cum senio *diminuendus semper*.  
*Vita interim varia, omni fere ratione*; *prae-*  
*primis in agricultura.*

*De varietate, cuique appropriata, inge-*  
*nua, delestante, reficiente.* 89.

89. (B. 1056.) *Animae operationes eligen-dae illae, quae singulari genio uniuscuiusque maxime sponte placent, hae autem ipsae ita dirigendae, ut, moderatione servata, spiritus nec torpeant quiete, nec dissipentur; aut rodant per nimios motus. In pueritia ani-mi contentio acrior prohibenda, sensim plus exercenda, in senio sensim magis, magis-que, moderanda. Occupationes saepe va-riatae.*

*De oblationum commodis, & incommo-dis. — De conservatione organorum sen-soriorum, sensuumque externorum, & in-ternorum. — De conscientia rete factorum. — De Jure Talionis. — De collisione in-terdum legum diaeteticarum, & civilium, ut et moralium, domesticarum, observan-tiae, praiejudiciorum, cet. De humore, sic dicto, circa actiones, vario.*

90. (B. 1057.) *Cibi simplices, siccii, duri, tenaces, difficilius putrefaciundi, non acres; ex Vegetantibus panis, radices, fructus austeri sculi; ex Animalibus carnes maci-lentiores, salitae, aut pisces sic praeparati, maxime annosiores, se probaverunt. In pue-ritia lac, sensim panis, dein reliqua danda eo firmiora, quo plus crevit robusta aetas,*

68 DIAETA AD LONGEVITATEM.

in senio sensim redeundum ad vietum pueritiae.

Discretio circa locum habitabilem, & conditionem variam, consuetudinem.

91. (B. 1058.) *Potus aquae bonaे, frigidae, parcus, soli siti, dilutioni, temperiei, inferiens, maximis laudatur effectuum exemplis; cerevicia, & vinum, matura, pura, blanda, admittuntur moderato usu, nimia valde nocent. In pueritia lac, sensim dilutius, deinde aqua in robore aetatis, in senectute vinum molle, edentulum.*

An? & quomodo? *vinum lac senum?*

92. (B. 1059.) Interim abstinentia summa, diaetae accuratissimae: exsiccantes, emaciantes, rariissime interpositae, mirifici usus.

Discretio. V. 758.

93.\* 1059. *In crescente senio introductio nutrimenti per apposita externa, balitu, fotu, balneo, clysmate, unguento, fiet.*

94. (B. 1060.) *Aer purus, campestris, montanus, ut & umbrosus in sylvis, tum quoque insulanus, frigidior, laudatur hic prae caeteris.*

Se-

Secundum *varium anni tempus!* & *variam regionem.*

95. (B. 1061.) *Excretio crassi circa senectutem tutissimis iuvanda, iis nempe, quae magis excitent fibras, & solvant foeces;* ubi *crocus, sal, gummi, aromatica, praecipua sunt, cum melle, & molliori vino.*

*Siccitatis senilis tantum emendatio, non irritatio!*

96. (B. 1062.) *Mutationes fere radicales humorum per resolventia, horum dein excretiones succedentes, ut sunt receptae curationes per virtutem argenti vivi, & per decocta attenuantia, exsiccantia, sudorifera, saepe disponunt corpus quam optime ad expulsum veterascentis, & instaurationem novae vitalis materiae, unde prudens Aes per has ad vitam longam dicit.*

*Maxima hic prudentia opus, ne corpus magis destruatur, quam conservetur.*

*De diaeta aegrotorum, varia.*

97. (B. 1063.) *Vapores, fatus, inundationes, balnea, clysmata, ex odoratis suavibus, lenibus, lacte, iure carnium, oleo, animalibus vivis, ariditatis senilis egregia remedia, mortis remora, vitae longae auxilia, in iuventute nocent.*

70 DIAETA AD LONGAEVITATEM.

De reiuvenescentia. De balneo animali,  
fotuque, reficiente, vario.

98. (B. 1064.) Sed tamen ex dictis (1053.  
ad 1064.) constat, illa, quae corpus vastum,  
durum, constans, aetatis patiens, reddunt,  
& morbos validos arcent, plerumque vi-  
vidissime, mentis aciem, per rudiora organa,  
hebetare, impedire. Nec ideo auxilia, per-  
fectissimam sanitatem generantia, causae sunt,  
vel auxilia, procuranda longaevitati.

An quod destruit, reparat? Et vice  
vera De tranquillitate mentis, iuncta  
cum modico corporis motu: — iudi-  
catione de humano, non alieno ab  
homine. — De consolatione philosophica,  
alia, varia.

99. (B. 1065.) Vanissimae autem iactantiae,  
nulla vera ratione, nec experimentorum  
fide, firma promissa sunt, quae in hunc  
scopum commendantur: scilicet usus En-  
tis primi Cedrini Helmontiani; Elixiris  
proprietas Paracelsi; Tincturae Physico-  
rum Adeptis laudatae; Entis primi ex me-  
tallis, fossilibus, animalibus, vegetantibus;  
Purgationis repetitae per Hellebori nigri  
folia; Spiritus sulphuris per campanam;  
Spi-

Spiritus florum rorismarini; *Virtutis attrahentis Spiritus ex sano corpore Juvenis*, ut in *Artephio*; animalium longaevorum, aut saepe iterum renovantium partes; sigillatum planetarum vitam producentium.

*Vanitas arcanorum, ostentationum, curationum, & vanitas, & superstitionis, credulorum.* — *Discretio circa medicos sui ipsius.* — *De medicamentis domesticis.*

100. (B. 066) *Neque methodo tamen vel optima vitam in numerosos adeo annos protrahi posse*, ut *Chemici Adepti spem faciunt*, ullo modo verisimile fit: imo suis redarguuntur ubique omnes hi experimentis.

*De discreto circa Chemiam veram sensu.*

*De pharmacia rationali.*

*De Medico*, quem non oporteret iuvenem mori. *De modis*, quibus moriuntur mortales, physicis, moralibus, occasionalibus. — *De parallelis*, in determinanda causa, modove, mortis, vera, & relata. — *De biographia medica, & vulgari.*

*De resuscitatione semimortuorum.*


*De termino vitae vario.* *De evagatis.*

T A N T V M.



❧ o ❧  
Omisla et errata.

Pag. 5. lin. 8. add. neque in *praelectionibus in propriis institutiones*, quae, ut ab. Viro habitae, editae sunt, ea inveniri cuncta, quae tamen tangere oportebat, quaeve scopo satisfadere queant. pag. 6. lin. 18. leg. vel meditando, commentando, in aliorum — p. 8. l. 6. leg. praelectionibus. p. 8. l. 16. l. effectivo. p. 10. l. 11. l. De sanitate magna, nimia. p. 19. l. 26. l. assumtorum p. 22. l. 8. leg. fortis. p. 26. l. 4. add. De temperamento cum *sensilitate, activitate, torpore, tenacitate*, majore, minore, brevi, longa, facili, difficult. l. 12. add. Humeur, Laune, Wurm, Gene, Nuance. p. 27. l. 12. l. (B. 892. l. 25. l. (892.) p. 28. l. 9. l. (B. 895.) p. 28. l. 15. l. (B. 891.) p. 29. l. 3. De Graecis. p. 32. l. 8. l. functionum. p. 33. de aëre, fixo dicto, alibi. p. 35. l. 17. De regelatione provida. p. 36. l. 21. leg. 74<sup>o</sup>. ad 753. p. 37. l. 23. leg. De furnorum, caminorum, structura. — De fumigatione. p. 38. l. 22. Fame canina. Bulimo. Allotriophagia. p. 40. l. 6. l. Oligochyla. lin. 14. l. nostratum, et exoticorum. l. 20. de fungis. l. 22. De turionibus, et cepis. — Distributio n. 4. a B. dictorum, convenientior! p. 40. l. 26. add. De sanguine vetito. — De Visceribus animalium esculentis. p. 41. l. 26. leg. 1034. 1. 2. 3. 4. p. 43. l. 6. leg. fragrantia. l. 27. l. sumi. p. 46. leg. 7. l. (B. 760.) p. 48. l. 27. l. sanguini. p. 49. l. 7. De pulmentis. p. 49. l. 20. leg. mala. p. 54. l. 4. l. (769.) l. 24. l. Salutari, et noxia, affectata, coacta, consueta, cet. p. 55. l. 1. l. (B. 1047.) l. 17. l. (B. 773.) p. 60. l. 7. l. indifferentia.







Diaet 234

